





X6
208

12

DEO FORTVNANTE,
AVSPICIIS
RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI,
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII,
DN. FRIDERIGI AVGVSTI,
&c. &c. &c.
DE
DIVO ANHALTINORVM PRINCIPE,
GEORGIO,
PRAEPOSITO MAGDEBVRGENSI
ET MISENENSI ETC. ETC.

Nonnulla repetet, dataque occasione

LOCVM

IN AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM COLLEGIO SIBI
ASSIGNATVM DEFENDET

M. GOD. VICTOR MOEHRING,

Serveſta-Anhaltinus,

RESPONDENTE

M. IO. GODOFREDO BRESLERO,

Lufato.

Add. XIV. Maii, A. MDCCIV.
IN MAIORI AVDITORIO,
H. S.

VITEMBERGAE, EX OFFICINA HAKIANA.



15

DEO FORTIVANITE
AVSICHI
RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS REGI
DN. FRIDERICI AUGUSTI
DIVO ANHALTINORVM PRINCIPIS
GEORGIO

PRAEPOSITO
ET M. I. B. V. G. E. N. S. I.
BIBLIOTHECA
ANHALTINAVIANA

IN AMPLISSIMO THEATRO COLLEGIO SIBI
ASSOCIATIONE
M. GOD. V. M. G. E. P. I. N. G.
RES. O. G. E. N. T. E.
M. I. O. G. O. R. D. O. B. R. E. S. I. E. R. O.
AN. P. M. A. M. D. C. C. V.
IN MAIORI AV. D. I. T. O. R. I. O.
VITTI. B. I. B. L. I. O. T. H. E. K. A. N. H. A. L. T. I. N. A. V. I. A. N. A.



B. D. L. N.
DISSERTATIONIS

DE
REVERENDISSIMO, AC SERENISSIMO
PRINCIPE AC DOMINO,

DN. GEORGIO,
PRINCIPE ANHALTINO, COMITE ASCANIAE,
DOMINO SERVESTAE AC BERNBVRGI
&c. &c.

PRAEPOSITO ECCLESIAEVM MAGDEBVRGEN-
SIS ET MISENENSIS, IN BASILICA CATHEDRALI
MARTISBVRGENSI SENIORE, EPISCO-
PATVS ET CONSISTORII ibidem COAD-
IVTORE AC PRAESIDE &c.

Προούλιον.



Igent in omni seculorum me-
moriam, & aeternis celebrantur
monimentis Divi, Magnique
Principis GEORGII Anhal-
tini virtutes, merita in Eccle-
siam & Patriam summa vere
meritoque praedicantur, pie-
tas, iustitia, aequitas, vigilan-
tia, labor indefessus cunctis
abunde constant. Testes addu-
co omnes, quotquot Reve-
rendissimi Praepositi literas pereruditas, scripta praeclara,
consilia ad DEI gloriam relata, sermones ad salutem populi
A perti-

peffinentes unquam legerunt. Lectione diffusa & incredibili auxit industriam, & Patrum Doctorumque volumina pervolutavit: *Ignatii, Irenaei, Iustini Martyris, Tertulliani, Cypriani, Origenis, Athanasii, Basilii, Chrysofomi, Gregorii Nazianzeni, Cyrilli, Theodoreti, Eusebii, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Hilarii, Gelasii, Paschasii, Bernardi*, praeter hos *Gabrielis Bielii, Gersonis, Alexandri de Ales, Cusani, Thomae Valdensis Carmelitae, Capreoli, Lyrae, Bonaventurae*, aliorum veri sensus, ubi recte docent, in scriptis a Principe relictis apparent. Testes appello dudum e vita evocatos, Redemptorem resuscitantem expectantes Anhaltinorum Principes, IOACHIMVM ERNESTVM & BERNARDVM, quorum sumptu luculenta Principis Optimi, Sapientissimique opera lucem viderunt; dicant ipsi sententiam, & iudicium ferant: Nihil, nisi operam, atque in exponendo fidem, doctrinae integritatem, animi sanctimoniam, vitae innocentiam, precandi constantiam, religionis zelum, munificentiam, moderationem ac demissionem, famam, reluctante quamvis iniqua malevolorum turba, inviolatam, persanctam memoriam, gratam erga DEVM mentem, in Pontificem odium admirantur. Testem laudo sanctissimam in Anhaltino tractu, dum viveret, Principem, in vera religione asserenda & voce, & literis constantissimam, eaque re nomen immortale adeptam ELEONORAM, *Hessiae Principem & Landgraviam, Vürtembergensium Ducem*, IOACHIMI ERNESTI Coniugem, quae Religiosissimi GEORGII fidem in Scripturis solide innixam agnovit, atque ea de causa ab Divi Patris & Patruum dogmate recedentes Filios Principes, DNN. IO. GEORGIVM, CHRISTIANVM, AVGVSTVM, RODOLPHVM, IO. ERNESTVM & LVDOVICVM, per aeternum DEI amorem & misericordiam admonuit, ut Antecessorum vestigiis sponte insistant, confessiones divinis mysteriis plenas retineant, suamque adeo salutem sincera mente cogitent

tent & perpendant, cum Numine tandem Sacrosancto in
 gratiam redeant. (a.) Testem advoco, cuius nomen po-
 steri colunt, *Philippum Melanthonem*, qui accuratam in elo-
 quendo, scribendo, explanando notitiam collaudat. Ver-
 ba Praeceptoris Germaniae usurpare liceat: *Hic Princeps*
GEORGIUS per **DEI** gratiam doctrinae articulos & funda-
 menta norat, & singulari dono dextre percepta, perspicue, bono-
 que ordine proponebat scriptis & oratione. Erat & in eo diligen-
 tia cognoscendi praeter cetera doctrinae & graviorum in Ecclesia
 certaminum fontes, amplectebatur sententias recte iudicantium,
 & illustrabat sententias dextre traditas. (β) Testem profero
 Canonicum Misenensem, *Io. Cochlaeum*, Inclytum ritus Pon-
 tificii Doctorem, quippe qui in Epistola quadam *Lipsiae*
 A. MDXXXIX. ad d. XXIX. Jul. exarata (γ) professus, se
 singularem in **GEORGII** animadvertisse scriptis doctri-
 nam. Iuvat insignes ab adversario audire laudes: *Attulit*
ad me hoc vesperi Nuncius Reverendis. & Illustris. Celsitud. Tuae
litteras non minus gratia & benevolentia, quam eruditione ac ele-
gantia refertas. Ipse hoc nuper confiteri necesse habuit
Godofr. Arnoldi, Principem **GEORGIUM** pium, humi-
 lem, modestum, mansuetum, sapientem, in rebus Eccle-
 siasticis maxime occupatum (δ) vocans. His, aliisque
 pluribus permotus elogiis, qualia ad Dissertationis meae
 II. caput studio reservo, his, inquam, pro aeterna verita-
 te per **LVTHERVUM** reddita, coetuque puriore confir-
 matus illustribus documentis, deliberato me animo ad
 praesens negotium accinxi, partim, quod totius Orbis
 Christiani consensu fidei **GEORGIANAE** integritas

A 2

cum-

(a.) *Continet ea omnia lectu dignissima ELEONORAE, Darmstadii A. MDXCVII., X. Dec. scripta Epistola.*

(β) *Vid. Praefat. A. MDLV. ad Principem Anhalt. IOACHIMVM, quae Scriptis GEORGII Nostri inserta fuit, p. 2. f. a. O. L.*

(γ) *Conf. p. 608. f. b. O. L. subtit. Responsum Cochlaei, p. 495. f. a. O. L.*

(δ) *Vid. Histor. Eccles. & Haeret. P. 2. T. 1. p. 99.*



cum primis sit comperta, partim, quod emendatam ad posteros propagando religionem gloriam reportaverit splendido Principis nomine condignam, partim, quod sepultam quasi, eoque tempore tenebris obrutam coelestem sapientiam, rarissimo Sapientis Concionatoris exemplo, tanquam Princeps in lucem LVTHERI ope revocaverit. Accedit haec causa, devota scilicet tantorum Principis meritorum veneratio, & mea in Beate Defunctum pietas, quod eadem Patria, quae semper floreat & salva sit, me suo receptum sinu, Serenissimis Principibus Anhaltinis clientem & civem devinxit. Ut autem in suscepto labore eo felicius progrediar, ad certa probataque monumenta me convertam, repetamque potissima, quae ad praesens institutum pertinere videntur. Dirimam singula in III. capita, ita, ut I. Principis GEORGII vitam & mortem; II. Diversorum elogia cum inscriptionibus & epitaphiis; III. denique caput Sermones, literas ac scripta recitet: Quo conatu meo, insufficienti quamvis ac infirmo, qualemcunque Lectori Benevolo industriam approbare, & imprimis Patriae dilectae animi religionem testari cupio. Exhibebit autem Historiam

C A P V T I.

DE

PRINCIPIS GEORGII VITA ET MORTE.

§. I.

In finita fuit felicitas eius temporis, quo GEORGIUS principatum tenuit, & castis precibus DEVM precatus est, & DEI bonitatem ac gratiam, subditorumque incolumitatem exoravit. Principem ex coelo demissum, iure credamus; dedit Natura Principem, quem benignitas Numinis adiuvit, & Patriae concessit: Quod intellexerunt & approbarunt per plures, & ipsi praesertim S. R. Imperii Principes, quibus facile suffragamur; quod ii cognove-

gnoverunt, quorum verbis permagna GEORGI merita recensuimus; eo etiam loco habuit Augustus quondam Imperator, CAROLVS V. [α.] ut eum aestimaret, & diceret, praecipuum & instructissimum atque exquisitissimum fuisse Ecclesiae Doctorem, cui nec pietate, nec solertia, neque varia rerum notitia, & ingenii, animi virtute quisquam Germaniae Principum vel conferendus, vel praeferendus esset: Confidebat ergo Caesar, fore, ut, dum operam in religionis negotio collocabat, Ecclesiamue administrabat, multum adhuc commodi redundaret. Habebat igitur Patria, quare in sinu de Tanto sibi Principe, tanto Propugnatore veri, tanto Praecone salutaris verbi, & Concionatore, & Intercessore gratularetur.

§. II. Enumerent alii antiquissimae Domus Anhaltinae & Ascaniae Comitum [β.] Genitores, & ab eorum

A 3

existi-

- (α.) *Const ant dicta ex Oratione funebri Michaëlis Makery, Magdeburgensis, scripta ad IOACHIMVM, Anhalt. Principem.*
- (β.) *Respexit huc Cass. Peucerus in Chron. Carionis parte III. l. IV. p. 551. f. a. HENRICVS Principibus Anhalt. ortum dedit, qui antiquam Patriam Ascaniae gentis ad Herciniae iuga incolunt. Conf. l. cit. p. 456. f. a. it. p. 545. f. a. Ne quid Spangenbergii, Albin, Barthol. Schvanbergeri, Consiliarii quondam & Secret. Anhaltini, (quem sub tecto Chaerici nomine D. Cass. Sagittarius in Principum Anhalt. Hist. non semel laudavit,) Eliae Reusneri, Vind. Anhalt. Auctoris, Dresseri, Peuceri, Georgii Bersmanni opinioni tribuam, qui indubitatis evincere student fundamentis, familiam Anhalt. ab Ascenate, (nonnulli Ascenam, Ascaniem vocant,) Gomeri Filio, Iapheti Nepote, Noae Pronepote esse deducendam, qui non modo ignis Sacri, id est, religionis & doctrinae custos fuisse, sed & ob cultus profani incrementum ex oriente in septentrionem migrasse legitur, id quod Experientissimi Doctoris Medici, D. Christ. Knautii Antiquitatibus Comitatus Ballenst ad. & Ascaniensis L. I. C. I. acceptum refero, cum quo iungendus D. Sagitt. in Princ. Anhalt. Hist. Cap. I. §. 6. & 7.*

existimatione, amplissimoque nominum splendore ordiantur: Longa, quibus placet, serie recitent, [γ.] HERMANNVM I., BERICHINGVM I., BERICHINGVM II., CAROLI alioqui nomine appellatum, HERMANNVM II., ESICHVM, OTTONEMI., ALBERTVM I., OTTONEM II., BERNARDVM Saxonem, ALBERTVM II., HENRICVM I., HENRICVM II., OTTONEM, HENRICVM III., RODOLPHVM, SIGFRIDVM, ALBERTVM Seniore & Iuniore, VOLDEMARMVM Seniore cum Iuniore, & reliquos ad Anhaltinorum Principum Maiores spectare: Putaverim ego, & maiori & meliori illum loco futurum, qui aliena commendatione non indigeat, sed sua laude gloriaque praestet, atque mirifice curiosos Lectorum animos capiat. Meum inde non erit, solcite de iis disquirere, quod ipse GEORGIUS singularium virtutum & excellentia & possessione gaudeat, neque raro concinne admodum de Principe Nostro dictum fuerit:

Nulla ferent talem secla futura Virum.

§. III. Afferebat Patriae, Serenissimisque Parentibus suis insignem laetitiam, dum A. P. C. N. MDVII. die XV. mensis Augusti, hora secunda pomeridiana Dessaviae nasceretur. Erant ii ERNESTVS, GEORGI Senioris Filius, in prima aetate defunctorum, LAURENTII, HENRICI, IOANNIS, BERNARDI, Inclytorumque Principum, GEORGI II., SIGISMUNDI II., RODOLPHI, VOLDEMARI Frater, XII. Iul. MDXVI. Dessaviae placida discedens morte; & MARGARETA, HENRICI, Monsterbergensium Ducis, atque Glacensium Comitum Gnata, quae d. XXVIII. Iunii, MDXXX.

in

(γ.) *Hac scribendi ratione utuntur Ioach. Camerarius, Georgius Maior, Philippus Melanthon, Viri graves in Narrationibus suis, ad honorem Principis comparatis.*

in vera religionis sententia decessit. (d.) Germanos tres agnoscebat Fratres, maiores scil. natu, THOMAM & IOANNEM, quorum postremus cum MARGARETA, IOACHIMI I. Septemviri Brandenburgici Filia, fecunda, IOANNE Marito, IOACHIMI ERNESTI, CAROLI, BERNARDI, MARIAE, MARGARETAE, ELISABETHAE Matre, MDXXXIII. nuptias celebravit, [e.] variis deinceps Spiritum DEO commendans precibus, IV. Febr. MDLI. ad meliora evocatus, ac Servestae sepultus est: Et minorem natu, IOACHIMVM, DEO ita iubente, MDLXI. vivis exemptum. §. IV.

(d.) Annotavit in Operibus suis Beatae Matris obitum GEORGIVS, verbis amorem certe filio dignum significantibus, quae etsi paulo sint longiora, operae tamen pretium duxi, si & ista in dissertationis conspectum veniant: Scripsit inter alia p. 272. f. a. O. L. Cumque Celsitudo Ipsius (agit in praecedentibus de Matre) in agnitione, & invocatione DN. nostri JESV CHRISTI, A. MDXXX. in vigilia Petri & Pauli hinc evocata sit, omni fiducia & consolatione collocata super gratia & misericordia DEI propter CHRISTVM: Nullum penes me dubium est, esse C. ipsius, tanquam credentem Abrahami Filiam, vita donatam sempiterna, & defectus atque errores reliquos, fide articuli: Credo remissionem peccatorum; & precationis: Remitte nobis debita nostra, remissos esse, extinctos & absorptos.

(e.) Magni facit GEORGIVS noster contractum coniugium, ac in literis ad Serenissimum Fratris Patrem, MDXXXIV. missis benevolentiam huius IOACHIMI extollit, prout e p. 479. f. a. O. L. videre licet: Quia C. V. dilectis Fratribus meis, & mihi ipsi in aetate pupillari nostra, ut Tutor fidelissimus, multa beneficia, consulendo & iuvando nos, exhibuit; & more Maiorum vestrorum Anhaltinam domum amanter semper complexa est; denique & Fratri Nostro charissimo, Principi IOANNI filiam in matrimonium dare non dedignata est: Nequaquam velimus a nobis aliquid proficisci, quo V. C. merito nostro offendatur.



§. IV. In lucem editus adolevit feliciter, & optime a Parentibus educatus, sponte se ad praeclara suscipienda excitavit. Hic enim divinus magnorum ingeniorum mos, ut ipsa se erigant, fortiusque exsurgant, & flammam imitentur serpentem, quae nullis se finibus circumscribi patitur. Quo autem proficeret magis doctrina, & animum instrueret disciplinis, & facultate dicendi praeiret aliis, & abundaret consiliis, quae in vita & aula valent, vitae insimul sanctitate, egregiorum meritorum nobilitate se commendaret: Prudens Mater, Patre e vivis erepto, anniti coepit, & Principem Filium A. MDXVIII. Lipsiam dimisit, ubi ab Rectore Academiae, *M. Simone Eifemanno*, d. IX. Sept. in tabulas Civium relatus, nihil eorum intermittebat, quae ad excolendam rite mentem, ad comparandum decus, ad illustrandum gentis suae Nomen faciebant. Patres Academici venientem hilares excipiebant, faustisque acclamationibus prosequiebantur. Quibus rebus fiebat, ut ardentio rem ad studia tractanda animum applicaret, ac studiorum suorum Directorem, rectique moris Moderatorem *Georgium Heltum, Forchemium, Philosophiae Doctorem & ascisceret, & magnopere amaret.* (§.) Silentio tamen praetereun-

[§.] *Liceat mihi, ut in laudes ipsius Helti brevibus excurram, & quantum Princeps GEORGIVS ex eius obitu dolorem percepit, indigitem. De priori audiamus Phil. Melanthonem disserentem, & Georgium Maiorem, in Orat. auspicali MDLIV. recitata: Fuit Georgii Helti in formandis ingeniis fides & felicitas eximia, & laudabatur integritas & singularis morum gravitas. Repetit iisdem verbis Sagittarius l. d. Cap. XXIX. Th. I. p. 144. Consentit Camerarius in vita GEORGII, dum Heltum optimum & fide praestantem Virum, & flagrantem desiderio cognitionis eruditae & bonarum literarum atque artium nominat; in maxima dum felicitatis parte ponit, contigisse sibi in vita talem pueritiae Magistrum, & alterum plane*
 Pa-

tereundum non est, IOACHIMVM quoque fidei huius Praeceptoris creditum fuisse.

§. V. Vixit vitam magni animi castimonia praeditus, & pietatis fructum cepit eximium Princeps, cum rerum potirentur Imperatores Augusti, MAXIMILIANVS I. atque CAROLVS V. fama rerum gestarum ad posteritatis memoriam ad invidiam insignes. [¶]

§. VI. Ear egrediar, unde diverti: Eodem, quo Lipsiam ingressus est, anno Principis MAGNI [§] Coadiutor in urbe

B

Magde-

Parentem; dum grata mente recolit, custodire Heltum fidelius & diligentius aetatem suam non potuisse. De posteriori non nisi Principis Nostri, quamvis & alia in promptu sint, subiungam testimonium. Dolet Informatorem A. MDXLV. extinctum, in literis ad B. Mart. Lutherum: Ereptus nobis divina voluntate optimus Dn. M. Georgius noster Heltus, mihi unice carus, quem non secus ac Parentem filiali prosecutus sum amore, non citra ingentem cordis mei dolorem, gravissimum cruciatum, magnamque iacturam.

[¶] Adscribere iuvat Io. Cluveri, de MAXIMILLIANO iudicium: Par utrique sorti visus, a magnitudine animi, munificentia, pietatis, literarumque meliorum amore, antiquitatis praesertim studio plerisque laudatus. Hist. totius mundi Epit. p. m. 639. f. a. Et quem latent magno numero ab hostibus per CAROLVM V. reportatae victoriae? coepit is resistentes, Gallorum Regem, FRANCISCVM I., CLEMENTEM VII. Romanorum Pontificem, seditionum Anabaptistarum factiones in Vestphalia compressit, insanos tumultuum Autores, Knipperdollingum, Krecktingum, & plures supplicio mulctavit, consignari Protestantium Lutheranorum confessionem praecepit; profecto, quidquid in magnodefiderari Principe potest in CAROLO reperies, ut merito Maximi illi nomen PAVIUS III. indiderit, sicut ex aliis Vinckelmannus refert.

[§] Extant in Ecclesiae Servestanae ad D. Bartholom. Bibliotheca propria Principis MAGNI, Magdeburgensis Praepositi manu

MDXV.

Magdeburgensi, & *Canonicus* Martisburgi creatus, LEONIS X. autoritate confirmatus, splendidissimas dignitates tenuit, atque a Marchione Brandeburgico, & Archiepiscopo Magdeburgensi, Cardinale ALBERTI, ad alium purpuratum & Cardinalem, IVLIVM MEDICEVM commendationis formulam accepit, & amicitiam cum utrisq; contraxit.

§. VII. Neque oblivioni tradendus est, dum id ipsum recito, ADOLPHVS II. Martisburgensis Presbyter & Episcopus. Hic siquidem & iustitiae, & pietati, & castitati, & munificentiae, & comitati deditus Anhaltinorum Princeps salutare dabat GEORGIO consilium, Lipsiam adeundi. Hic Autor erat, ut in Iuris Consultorum doctrinam ac leges diligenter incumberet. Hic Iuris Pontificii, & commen-

tario

MDXV. ad DN. MARGARETAM, Principis ERNESTI coniugem, GEORGII Matrem ex aratæ literæ, in quibus non modo CHRISTVM Servatorem natum evehit, peccatorum suorum multitudinem fatendo, sed & CHRISTVM, animæ Pastorem & Medicum agnoscit. Communicabo tecum, B. L. aliquam rarioris Epistolæ partem: *Di*eweil ich Magnus beladen bin mit vielen großen Sünden / so werde ich sicher bey ihm stehen. Denn er ist mein Leben / mein Trost / mir gegeben / mir geböhren / meine Speise, mein Tranck. *Et interiectis aliis*: Weil des Herrn Christi Wort sind Geist und sind Leben / so stehet Magnus noch unverwandtes Fusses / zu erwarten das Heil. Almosen der Gnaden / die geistliche Speise / so uns im Heil. Sacrament seines Leibes und Blutes gereicht wird. Da empfangen wir warhafftig sein lebendig Fleisch und Blut / wahren Gott und wahren Menschen. *En Theologi probi, Fratris ADOLPHI II., ADOLPHII. Anhaltinorum Principis, Filii, de criminum remissione & S. Coena confessionem! Vivere MAGNVS desit d. XXXI. Oct. MDXXIV. elato Magdeburgi funere, quod B. Sagittarius l. d. Cap. XLX. §. 6. p. 101. asseruit.*

rariorem sedulam evolutionem suadebat. Hic artis Medicæ, & Philosophiæ naturalis studium non disuadebat. Hic de capitibus controversis cum GEORGIO disputabat. Hic de hominis coram DEO iustitia, sola fide, non nostris meritis & operibus fundata, de mercatu veniarum Papalium differebat. Hic MDXXVI. spem suam in solo CHRISTO reponens e vita migrabat.

§. VIII. Vices Coadiutoris, quem vocant, Principe Nostro administrante, A. MDXIX. Colloquio Lipsiæ habitato interfuit, & ad obtinendum pro more sæculi ordinarium munus a Marchione Brandenburgensi, IOACHIMO I. de Domus Anhaltinæ antiquitate testimonium MDXX. impetravit. Insigni ceterum clementia, humanitate, morum suavitate, industria, patientia GEORGIVM fuisse præditum, sententiæ meæ assertorem *Camerarium*, Praepositi condiscipulum nominabo: *Natura atque ingenium in hoc Principe erat optimum, & ad omnem laudem idoneum, studium autem & industria hoc perfecerat, ut honestæ actionis nullius exempla non conspicerentur in ipsius vita; clementia tamen, & moderatio, & benignitas, (dignissima Principe Viro & illustrissima virtus,) potissimum & clarissime in eo eminere atque elucere visa. Patientia quidem fuit, & lenitas, atque mansuetudo tanta, ut neque indignantem in adversis, (quæ est expertus asperrima,) neque iracundia incensum, neque propter iniurias frementem quicumque viderit. Latinae & Graecæ lingvarum, Dialecticæ, Sacrarum Literarum, ac Theologiæ GEORGIVM non fuisse expertem, quivis ultro mihi largitur. Probitatem, Scripturæ explanandæ facultatem, Hebraicæ linguae notitiam GEORGIO curæ & delectationi fuisse, nemo est, qui ignoret. Cognosces denuo e *Camerarii* relatione luculentam sanctissimi animi & speciem & significationem: *Prima erat precationum cura atque opera. Etiam instituto illius ad epulas aliqua pars de sacris Scripturis recitabatur, & ipse inde memoria comprehendere solebat, de quo postea disputaret. Singula-**

*rem autem Hebraicae linguae scientiam sibi paraverat studio suo. Itaque multa luculente explicabantur, & erant sermones pleni pietatis & venerationis aeterni DEI. Administros, & qui ei ab officiis erant, nobili & civico loco natos ad pietatem, integritatem, honestatem, animi candorem, iustitiam admonerat, propriam Principis sedem non aulam, non splendoris domicilium, non magnificentiae & luxus hospitium, sed Christianam, sed aequitatis amantem scholam dicebat, otium illiberale Satanae pulvinar nuncupabat, neque raro istud pronunciabat: Cane peius & angue fugiendum otium, cum honestus labor cupiditatibus resistat, ut malae tentationes & Diaboli insidiae caveantur, penitusque vincantur. Quamvis igitur variis morborum generibus corripere, quamvis adversa valetudo perniciem viribus afferret, atque corpus debilitaret, quamvis & aliquali oculorum caligine affligeretur, tamen de controversiarum graviorum examine, & librorum perlectione, continuaque meditatione, & scriptorum elucubratione, & quotidianis adeo vigiliis nihil remittebat. Sententias Eum diversas, eiusdem tamen argumenti, symboli loco usurpasse, ex Historia didici; quales erant istae: *Spes mea CHRISTVS. Pars mea DN. Spes mea DN. Vel Germanica: Die Hoffnung mein Christus allein.**

§. IX. A. P. C. N. MDXXIV. studiis se maxime sacris mancipasse, & ab ADOLPHO Sacerdotem consecratum fuisse, Eruditissimo *Sagittario*, qui *Chaerico* ea debet, debeo. Brevi post temporis intervallo, ad aeterni gaudii societatem transeunte ADOLPHO, quem supra memoravi, delatum Consilarii & Gubernatoris munus gessit, nec publicae utilitatis rationem neglexit, Archiepisc. Magdeburgici incrementa auxit, cuncta denique negotia expedit, quae populi & omnium ditioni subiectorum amorem ei conciliabant, confirmataque prudentia promeritos dudum honores amplificabant.

§. X. Er-

§. X. Erga Fratres Principes, IOANNEM & IOACHIMVM magnam declaravit benevolentiam & fidem, quam vix exprimere verbis possum. [1] Interim non sine animi gaudio recordor, multum & diligenter per epistolas admonuisse officii Fratres GEORGIVM, amore & affectu

B 3

frater-

(6) *Vel solae ad hos Principes factae allocutiones rei veritatem comprobant. Dum IOANNES MDL. decumbebat, solatio eum constanti erigere conabatur GEORGIUS, scripta ad eum de praecipuis in Symbolo capitibus epistola. Comprehendi, p. 366. O. L. ait Princeps, in Tuae Charitatis gratiam capita Symboli, dilectissime Frater, de quibus prae ceteris meditandum sit in infirmitate Tua. Pergit p. 368. f. b. Quamobrem dilectissimus Frater meus bene speret, ac forti sit animo in Dn. nostro IESU CHRISTO propter quem non peccatorum tantum remissionem habemus, sed etiam illius sumus peculium. Non enim peccati, non morborum, mortis & Diabolorum, sed DN. IESU CHRISTI peculium est dilectissimus Frater meus, huius redemptus & acquisitus est passione & precioso sanguine. Pestilenti morbo MDLL. Dessaviae grassante in Psalmum Davidis XVI. sermones instituebat IV., Fratrique IOACHIMO offerebat: Tuae Charitati, cum Principe Coadiutore loquor p. 271. O. L., ipsiusque subditis, omnibus etiam atque singulis, tam in Magdeburgensi, quam in Misenenfi & Marsburgensi Dioecesebus, & locis reliquis, administrationi meae addictis, quos omnes tam CHRISTI, quam cognationis & officii ratione vere diligo, hos sermones dedicare, & ceu testamentum amoris apud vos deponere volui. GEORGIUS quoque in saniore doctrina informando, consiliis sinceris iuvando IOACHIMI sic mentem occupaverat, ut non dubitaret, pertimescendum potius vitae periculum subire, quam abs eodem recedere. Exponit animum IOACHIMVS p. 467. O. L. Vestra Charitas pro me fideliter oret, ut DEVS deinceps mihi gratiam largiatur in maioribus tentationibus, si qua forte eveniant, etiam cum vitae ac corporis discrimine, constanter tuendi ac retinendi Sacrosanctum verbum ipsius, & confessionem Sancti Nominis sui.*

fraterno impulsus. Dum A. MDXXVIII. IOACHIMVS in GEORGII, Saxoniae Ducis aula vixit, [x] capita admonitionum erant, ut timorem DEI, qui sapientiae initium est, & huius atque futurae vitae promissione nititur, in animo semper infixum haberet, decentes Principem virtutes ut sectaretur, ad hortabatur & ante oculos ponebat, voluptatum illecebras ut vitaret, deducebat, proclivem ad prava voluntatem ut corrigeret, confirmabat. Simul ostendebat, quo pacto vitam erga DEVM O. M. instituire & exigere, quove modo erga alios & fidei suae commissos se gerere, & quo denique erga se ipsum animo esse deberet: Nam summo Numini displicere in maximis malis putabat, eos contra fortunatos iudicabat, qui Numen venerantur, qui praeceptis & voluntati divinae obtemperarent, nec modo DEI naturam, sed etiam illius patefactam in Scriptura voluntatem cognoscerent: Neminem vero ad talem pervenire posse cognitionem, nisi Codicem sacrum gnarus perlegat, audiat, & noctes, diesque evolvat. [λ]

§. XI. Quod ad monumenta Principis nostri literaria spectat, Latino & Germanico sermone non semel Francofurti, Vitembergae, Darmstadii praelo excusa fuerunt. (μ) Diversam in istis a Prophetarum, Evangelistarum, Apo-

(x) Concesserat huc A. E. C. MDXXVII.

(λ) Ita Serenissimi Principis ac DN. DN. IO. LUDOVICI, Anhaltinorum Principis, Saxonum Ducis &c. &c. Domini mei Clementissimi, Quem una cum Serenissimis Fratribus, Cognatis & Liberis incolumem DEVS servet, Gratosissimae manuductioni, prout par erat, fidem habeo.

(μ) Apparet id ex editione, quae anno MDLXX. IOACHIMI ERNESTI & BERNARDI, Anhaltinorum Principum cura quartum prodibat. Idem editio Germanica, BERNARDO Fratre d. I. m. Mart. MDLXX. iam denato, solius IOACHIMI ERNESTI studio, MDLXXVII. impressa confirmat. Darmstadii autem edita GEORGII scripta coniunctim fuisse, Sagittarius d. I. C. XXIX. §. 17. p. 158. tradit.

Apostolorum confessione confessionem nondum cognovi,
 eo quod in textibus, quos aggressus, resolvendis vel ad di-
 vinos fontes, vel ad probandas Patrum explicationes se re-
 ferebat; scientiarum animam, ordinem, quem ingeniosus
 Plato *ἰδόντι θεῶν οἷς ἀνθρώπων* nominat, in istis semper per-
 spexi; faciliorem itaque rerum ac doctrinarum in istis re-
 conditarum perceptionem deprehendi, atque quaestio-
 num vel impiarum, vel superstitiosarum, vel non necessa-
 riarum, verborum item peregrinorum, obscurorum, am-
 biguorum, inusitatorum infensissimum hostem fuisse Prin-
 cipem, intellexi; ad auditorum & lectorum captum se ac-
 commodasse ex istis percepi, proprium denique, receptum
 ac perspicuum sermonis genus in istis observavi. Nihilo-
 minus tanta pollebat GEORGIVS modestia, ut a natura
 ad regiam hanc virtutem formatus videretur, ut infantiam
 quoque scriptorum suorum excusaret, & conatus infir-
 mos, informes, rudes, viles ac tenues diceret. En exemplum
 commendandae cuivis mortaliū modestiae, dū MDXLVIII.
 Saxoniae Ducem, AVGVSTVM, & ANNAM, CHRI-
 STIANI, Danorum Regis Filiam matrimonii foedere con-
 iunctos ritu Christiano inauguraret, iisque benediceret:
*Vt initio meae infirmitatis optime mihi conscius fui, cum in am-
 plissimo coetu Praestantissimorum Ducum oratio mihi habenda fuit:
 Ita multo magis nunc sum veritus, hoc rude meum scriptum edere
 in publicum, praesertim, cum alioqui extent multorum doctissi-
 morum hominum scripta de coniugio, quibus ego me minime parem
 esse agnosco, p. 375. f. b. O. L. En aliud p. 269. & 272. O. L. Liben-
 ter ac non sine gemitu agnosco & deploro ingentem imperitiam meam:
 Oro lectores singulos, ut attendant magis magnitudinem rerum,
 quam meam tenuitatem, & qualiacunque haec boni consulant.
 Conf. p. 169. f. b. O. L. Rogo vos, ut scriptorum rationem infor-
 mem boni consulatis, & istam simplicitati adscribat is.*

§. XII. At, in aliis etiam negotiis singularis elucebat
 modestia. Profecto GEORGII modestiae assignandum est,
 quan-

quando in auctoritate quidem publica constitutos, sed inferiore conditione Viros, *Antonium Musam, Sacrae Theologiae Licent.*, *Georgium Maiorem & Io. Forsterum, Sacrarum literarum Doctores*, reliquos Dioeceseos Martisburgensis Pastores & Ecclesiarum Ministros fidelium Collegarum nomine [v] insignebat. Praeterea id modestiam significabat, quando *Lutherum, MDXLII.* acerbiori scripturae genere utentem, ab eo more revocare quaerebat. Amplius hoc in parte modestiae habendum, quando Episcopatum, anno MDXXIX. rite sibi oblatum, recusabat. (§) Neque a modestia eius seiungendum, quando, cum Antistitis & Praesidis munus in Martisburgensi Ecclesia, volente AVGVSTO, Saxonum Duce, MDXLIV. eidem committeretur, splendidissimas eo usque refugiebat dignitates, donec *Lutheri & Melanthonis*, & aliorum in vicinia Praepositorum concors suffragium accederet. (•) Modestiam denique Principis hoc maxime declarabat, quando in *Commonefatione de Psalms XVI. translatione* non gravabatur, aequum prorsus ac verum & de Psalms, & Bibliorum versione addere iudicium. Dignum omnino, quod vel centies repetatur: *Univerfus hic mundus (p. 361. f. b. O. L. lego) precium dignum translatione saltem Psalms, non dicam Bibliorum D. Mart. Lutheri, piae memoriae, compensare potest. In qua adiutus est opera D. Phil. Melanthonis, D. Casp. Crucigeri, D. Io. Forsteri, & Matthaei Aurogalli, Virorum in Hebraica, Graeca & Latina lingua peritissimorum. Tanta enim est huius translationis Germanicae perspicuitas, ut maiorem lucem non habeant omnes ceterorum commentarii, id quod fateri coguntur docti omnes.*

§. XIII. Ni-

- (v) Praestitit hoc ipsum p. 167. & 168. Op. Lat.
- (§) Ita e literis, ad piae memoriae Principem IOACHIMVM, MDXXIX. Lipsiae consignatis, edocemur.
- (•) Haec Sagittarius l. d. §. VIII. p. 149.

§. XIII. Nimis longum foret, explicare cuncta, qua
ratione, quave occasione clarissima Evangelii luce collu-
stratus fuerit, idcirco in id unice incumbam, ut rei gravi-
tatem, qua fieri poterit brevitate, Lectori benevolo ex-
ponam. Ineuntem si aetatem perpendo, accuratum se ri-
tuum & ceremoniarum Pontificiarum Vindicem, traditio-
numque Defensorem, coetus patrii Patronum vocabat;
ob religionem novam, quae revera antiqua erat, suspectos
primum odio persequeretur, a lectione deinceps librorum
Lutheri & a seclorum abhorrebat, adhaec verae & repur-
gatae religionis commodum impediabat. Officiorum suo-
rum Praepositus tandem memor, cetera se ponebat studia,
& Scripturam potissimum Sacram, tanquam regulam &
normam, secundum quam ut lydium lapidem, omnia dog-
mata, omnesque Doctores aestimari & iudicari oportet,
scrutabatur, atque linguas originales, veteris Ecclesiae Pa-
tres legebat studiose & pervolutabat. Explanabo Principis
mentem sensumque propriis, non alienis verbis, ne ex meo
ingenio scribere videar: *Veteres Doctores & Canones perlu-
strare volui, nullam aliam ob causam, quam ut Patronos huius
doctrinae, quae nunc novitatis nomine traducitur, eo certius ac li-
berius, quod contra DEVM & Ecclesiam agerent, ubi, & in qui-
bus articulis falso sentirent, convincerem, & aliquos, quibus ex
animo favebam, a sententia abducerem, reliquos vero in unitate
& obedientia Ecclesiae Catholicae retinerem, p. 546. O. L.* Verum,
DEVS O. M. animos perversa cogitantes corrigere & re-
ducere in viam potest, in primis coetum voluntati divinae
audientem ab iniuriis defendere novit, Nutritores, Eccle-
siae Pastores excitare, & Curatores constituere pro arbi-
tratu suo valet. Quare admirabili & coelesti consilio factum
est, ut mentem ad sacra ab *Luthero* emendata converteret,
magnaque deinde constantia retineret. Fovebat Princeps,
meliora non edoctus, ardentem erga Pontificiorum doctri-
nam zelum, iisque eximium praestabat patrocinium, ac
adver-

adversariis de industria resistebat. Interim divinum Numen movebat Principem & flectebat, ut diligentius omnia religionis capita & ritus perquireret, inprimis, cum tot tantorumque munerum auctoritas iniiceret ei atque danderet, ut superiorum temporum errores intelligeret & explicatos redderet, corruptelasque agnosceret & removeret, pias autem consuetudines ultro in Ecclesiam introduceret. Assensum ergo cunctis his praebebat Princeps, & Monachorum ac *Lutheri* doctrinam conferebat, Ecclesiasticorum Doctorum placita contendebat, Codicem Sacrum manibus suis quotidie tenebat, atque in controversiis decidendis eundem unice respiciebat & considerabat.

§. XIV. Huic insistens viae investigabat & inveniebat veritatem, praesertim, cum DEVS omnipotens scintillam gratiae suae in ipsius pectore lucere vellet, [π] piusque, quod saepius ingeminabat, votum: *Fac cum Servo Tuo secundum misericordiam Tuam, & iustificationes Tuas doceme*; benignus exaudiebat: Haec, inquam, vestigia persequens vitia doctrinae Romanae, & insignes depravationes animadvertibat. *Per DEVM immortalem quid dicam? cum ultro citroque Doctorum scripta & Canones considerarem, nusquam reperire interpretationem, & traditiones, quas quacrebam, & quas saepe iactaveram; nec cum aliis conferens, qui perpetuo Patres in ore habebant, tale aliquid investigare potui. Contra vero observabam non modo plures abusus contra Scripturam & Ecclesiae ac Patrum constitutiones defendi, sed etiam longe lateque aberratum esse a puritate doctrinae Christianae: Huc usque Divus Princeps p. 546. f. b. O. L. Conversa hac rerum facie, nesciebat ferme, quo se verteret; adversus conscientiam agere recusabat: Insomnes proinde multas noctes ducebat, neque ob metum externae potentiae videbat, cui se parti adiungeret. Intelligebat probe GEORGIVS, magnum sibi imminere periculum: Superstitionem coetus Romani manifestam*

[w] *Innuit ipsum Princeps p. 547. Op. Lat.*

nifestam cognorat, ob eamque causam gravem DEI iram pertimescebat; caluminarum in Lutheranos repetitionem, non solidam ad argumenta responsionem iudicabat, & desperatae causae esse indicium recte existimabat; de duriore quandoque recordabatur eorum sententia, *haereticis non esse credendum, etiamsi vera proferrent.* In Protestantium an castra transiret, semel atque iterum haesitabat: Odium enim, vexationes, inimicitias, offensiones, insidias ab Imperatore, Pontifice & reliquis expectandas facile prospiciebat; nec dum ita sibi constabat, ab omnibusque praecudiciis liber erat, contentiones, tumultus, seditiones & motus doctrinae occasione concitatos fuisse, res ipsa loquebatur: *Quid ergo animi, quid spei de Lutheranorum parte haberet? Tantum abfuit, ut ei se addicere vellet, ut toto corpore exhorresceret de ea cogitans, praesertim, cum & hoc ipsi crebro inculcassetur, nihil successus, neque fortunae esse penes doctrinam illam, eiusque sectatores redactos ad extremam paupertatem, sentire ac experiri poenas divinas, ipso Principe ita censente p. 548. O. L.*

§. XV. Tandem DEI gratia ex hac eluctatus est sollicitudine GEORGIUS, & doctrinam religionis a *Luthero* instauratam recepit, & repugnantes verbo DEI sententias constanter reiecit. (†) Veram ergo, nec variatam Augustanae Confessionis formulam Augustae Vindelicorum Augusto Imperatori, CAROLO V. a protestantibus MDXXX. exhibitam toto pectore amplexus est, atque DEO confusus omnes insuper habuit inimicitias, gravissimosque in Ecclesia labores sustinuit & superavit. De causa religionis,

C 2

quam

(†) *Hinc in scriptis suis GEORGIUS reliquit, capita & articulos de iustificatione coram DEO, de nostrae salutis causa, de lege, liberi arbitrii viribus, CHRISTI merito, humanis meritis, DEI gratia, remissione peccatorum, fide, bonis operibus, sub utraq; specie communionis, Sacramenti usu crebriore, Sacerdotum coniugio, morte piorum placidiore, conscientiarum tranquillitate, & si qui alii, in Theologorum Lutheri suffragantium meliorem, quam Pontificiorum libris tradi.*

quam tueretur, interrogatus Princeps, ad respondendum ac defendendum paratus, agnitam veritatem praesenti & impavida mente professus fuit. Sigillatim ad Invictiss. Imperatorem, CAROLVM V., ad Electorem Moguntinum, ALBERTVM diversis temporibus literas scripsit, in quibus non modo susceptum religionis emendatae negotium multa laude extulit, (σ) sed etiam ita commendavit, ut literas sacras legi diligenter & conferri optaret pariter atque admoneret, eoque modo viam ad extirpandam superstitionem muniret, doctrinamque in Comitibus Augustanis propositam tutaretur, atque huic refragantes & convitia in protestantes dicentes in Sycophantis numeraret, eo quod calumniis rem agerent, & immerito Augustanae formulae focios infectarentur. Plurimos igitur S. R. Imperii Principes, Cardinales atque Antistites allocutus fertur, ut sacrorum emendationis beneficium agnoscerent, DEOque gratias persolverent, & repurgatam consensu mutuo religionem comprobarent, addita comminatione: *Servi voluntatem Domini scientes, nec facientes, plagis vapulabunt multis.*

§. XVI. Nihil in praesentia commemorabo de GEORGIO, Saxoniae Duce, Principe iustitiae & virtutum amantissimo, sed a Luthero penitus averso; (τ) monebat itaque & hortabatur, ut praeiudicatas, & quas vocant, praecon-

ceptas

[σ] *Confirmo sententiam meam Praepositi ad CAROLVM V. verbis: Ea in re praestabit C. M. V. bonum opus, dignum tanto Governatore, ad exemplum multorum Principum piorum, Regum & Caesarum, gratum omnipotenti DEO, & non Ecclesiae tantum & Germanicae nationi, sed & sibi ipsi salutare, & dignum memoria perpetua, p. 448. f. b. O. L.*

(τ) *Patet hoc ex obviis passim verborum formulis, e quibus unam vel alteram in medium afferre non verebor: Fons & origo malorum tantum est ex invidia & odio, quod Lutherus adversus sanctitatem Pontificiam, & omnes status Ecclesiasticos concepit.*

Itaque

ceptas dimitteret opiniones, (v.) ut sibi consulere & tempestive caveret, ne felicitatis suae iacturam faceret, salutisque periculum adiret, ut consideratis utrinque sententiis veriore urgeret, divinitusque mandatam. Dux equidem GEORGIVS non diffiteri potuit navatam Principis Cognati operam: *Ex libris, quos C. V. nobis transmisit, deprehendimus, voluntatem eam esse in V. C., ut cupiat nos in suam sententiam amanter pertrahere, in qua V. C. se salvam fore sperat. Verum ea est nostra conditio, quemadmodum dicitur; ut difficile sit, veteres canes loris assuescere, p. 610. O. L.* Dum aliquanto post Princeps noster & Praepositus, relicto Magdeburgo, Patriam repeteret, consilio eius ducti Principes Fratres correctam Evangelii doctrinam suscipiebant, Pontificiorum placitis nuncium remittebant, ceremonias ad Lutheri praescriptum mutabant & dirigebant, & S. Coenam integre, prout

C 3

CHRI-

Itaque fugiat C. V. istos Lutheri discipulos, & a se procul removeat, p. 469. O. L. Res ostendit, ex damnata & haeretica doctrina ipsius nihil aliud, quam seditiones & perniciem multarum animarum, & magnae multitudinis hominum ortam esse, & magis magisque oriri, p. 468. f. b. O. L. Et p. 565. f. b. O. L. Initio Lutherus & eius asseclae provocabant ad Concilium: Nunc properant ad id non aliter, quam canis ad cavernam, in qua vespa & crabrones latitant.

- [v] *Huius generis sunt istae, quando Vitembergam, almam & studiorum & religionis instauratae Matrem, p. 467. f. b. O. L. angulum vocavit, ex quo nihil boni egrediatur: Quando M. Nicol. Hausmannum, Anhaltinorum Principum Concionatorem, p. 466. O. L. hominem sceleratum & impudentem, p. 468. O. L. transfugam Sacerdotem, haeticorum Lutheri errorum Doctorem nominavit: Quando p. 468. f. b. O. L. Heltum Forchemium, Vitembergam se conferentem, cum Iuda ad Hannam & Caipham confessionis causa accedente comparavit: Quando p. 471. f. b. O. L. Lutherum mendacem, veritatis, iurisiurandi, atque votorum everforem appellavit.*



CHRISTVS instituit, admistrabant. [p] Nec vero me poeniteat, hanc sectionem Doct. Lutheri concludere laudibus, A. MDXXXIII. Vitembergae Principi GEORGIO attributis: *Principem video Te unum in toto Imperio, praesertim in eo gradu & statu positum, amare sinceriter & promovere fideliter verbum CHRISTI: Atque mihi saepius miraculo fuit, id ipsum cogitanti, & plane singulare DEI donum agnoscere cogor, quod sponte coeperis urgere eam doctrinam in populis tibi subiectis.*

§. XVII. A. MDXL. Inclytus Sacri Senatus Praefes secundum edita Lutheri Biblia Abbatisae Gerenrodanae, Annae Plaviae transmisit, atque per epistolam eorum ipsi dignitatem ac utilitatem patefecit. A. MDXLI. erroneae Romani coetus doctrinae, quae ad transsubstantiationem pertinet, se opposuisse, & ad Lutherum sensus mentis suae intimos perscripsisse, certiore me reddit Barth. Schvanbergerus. Eodem anno peculiari epistola suis in tractu Berenburgenfi, Varnsdorfiensi & Ploezkaviensi Pastoribus edixit sancte, ut sobrietati studerent, neque vino vel zytho in diversoriis publicis se replerent; simul prohibuit, ne bene poti cum assidentibus rusticis de religione disputarent, aut quidquam de emendatione eius moverent atque tentarent: Cui clementissimo mandato Ecclesiarum Ministri subscripserunt, D. Cyriacus Cerichius scil., Nicol. Nettelbeckius, Andr. Scheibius, Io. Gottvaldelius, Jac. Grundius, Galus Zieglerus, Io. Kammesetzerus, Valent. Rysenerus, Io. Nordorffus, Leonardus Stolzius, Severinus Printius, Petrus Bertram. Dum A. MDXLIII. a plerisque malevolis GEORGIUS & convitia, atque infidias animadverteret, erexit eundem & consolatus est Mart. Lutherus, quicum ad vitae exitum familiarissime vixit: *Ita super Dominum curam tuam, ipsi est cura de nobis, & quae sequuntur.* Aedes ceteroqui multas, easque splendidas exstru-

(p) Ita vero Princeps: In Nom. DN. IESV CHRISTI, A. MDXXXIV. die praecedente Parasceven, Communio sub utraque specie administrari coepta, & abusus quidam aboliti sunt Dessaviae p. 472. O. L.

extruxit; atque inter has speciatim arcem Dessaviensem
versus occidentem nominabo, [x.] de qua insequentis le-
ctori suppeditabo versus:

Struximus hanc nobis charis cum Fratibus arcem,

Quam precor incolumem, CHRISTE, tuere diu.

Postulat vero instituti ratio, ut novae Domus principalis
structuram, magno GEORGII sumptu, Selvestae versus me-
ridiem & inchoatam & perfectam esse, recitem, cuius rei
causa consignatum accepi carmen:

Quinque ter exierant a nato secula CHRISTO,

Lustraque bis quatuor, lapsus & annus erat,

Tu quoque scepra tenens Romani, CAROLE, regni,

In Patria custos pacis & Autor eras:

Coepit ut has Princeps reparare GEORGIUS aedes,

Ortus ab Ascaniis Dux generosus avis.

Ante sed innumeris vetus arx vitiata ruinis,

Traditur artificis dum renovanda manu

Mille anni a CHRISTO iam nato, & secula quinque,

Lustraque, sic numeres, praeteriere novem.

Principis Electoris Saxonum, MAVRITII salus ipsi curae
cordique erat, quapropter libri inter religionis, quem *In-
terim* vocant, lectionem A. MDXLVIII. disuadebat, do-
ctrinae in eo falsitatem arguebat, &, cum MDLIII. IX. Iul.
Fortissimus Septemvir in Sivershusano conflictu Victor
occumberet, diemque supremum obiret, subtristis rerum
humanarum vicem dolebat.

§. XVIII. Dignitatem Praepositi adeptus Princeps,
& concordibus eorum, ad quos res spectabat, sententiis
electus, A. MDXLV. die II. Augusti, Martisburgi ritu con-
fuetu & usitata manuum impositione consecratus fuit. Con-
vocati ad solennitatem hanc Sacerdotes & Ecclesiae Mini-
stri

(x.) A. MDXXXVII. ultima manus fuit imposita novae structurae
arcis Dessaviensis versus occidentem, quam A. MDXXXIII. triginta
Fratrum condere coeperat, teste Sagittario l.d. Cap. XXVIII. p. 142.

stri probi, integri, docti, graves, regendisque Ecclesiis ad-
moti, quorum consensu partes docendi Evangelium, & ad-
ministrandi Sacramenta GEORGIO demandabantur; spe-
ciatim ad publicum ordinandi ritum accersiti *Mart. Lutherus,*
Iustus Jonas, Sigismundus a Lindenau, Ecclesiae Mersburgensis
Decanus, Io. Pffingerus, Antonius Musa, Ecclesiae Martisburg.
Minister, Wolfgangus Steinius, Pastor & Superint. Veisfeldensium,
Laurentius Reinardus, Martisb. Pastor, denique Iacobus Stey-
rerus, Pastor in Roslav. Eandem nominum seriem, & ordi-
nationis testimonium perhibent *Melanthonis Consilia Theol. p. 651.*
Quapropter impense sibi *p. 60. f. b. O. L. & p. 61.* gratulatur,
quod peccator alioqui miserrimus ad ministerium legitime vocatus,
ordinatus & consecratus fuerit; nec non *Nicol. Crameri, Vicarii*
dubius satisfacit, sibi (1) loco postulati *Administratoris*, per uni-
versi Capituli consensionem, *Episcopalis muneris gubernationem im-*
positam; se (2) non in angulo, sed in Cathedrali templo publice ini-
tiatum, idque approbante Ecclesia; se (3) ad certam Ecclesiam; se
(4) ad legitimum ministerium iuxta mandatum CHRISTI ordina-
tum; se (5) iuxta ritum Apostolicum per DEI verbum, Ecclesiae
precaiones, totiusque Cleri manuum impositionem confirmatum;
tandem (6) confectam ordinationem ab iis fuisse, qui potestatem
haberent iure divino, a Presbyteris videlicet & vicinis Pastoribus.

§. XIX. Morti demum proximus, annoque MDLIII.
affixus lecto, turbulentum Ecclesiae statum satis deplorabat,
pro eiusdem incolumitate vota faciebat, se fidum *Lutheri*
confortem profitebatur, praesentibus multis, praesertim
Principibus, & ceteris religionis sententiam recitabat, se-
que ad discessum placidiorem praeparabat. Cum ita se
gereret Religiosissimus Princeps, evocabat eum ex vita aeri-
umarum plena DEVS immortalis Dessaviae, die Martis post
diem XVII. Oct., qui in fastis erat, Galli, hora intra III. &
IV. matutina, annos quippe natū XLVI. menses II. dies IV.
horas XIV. Quem deinceps in sequenti Iovis die hora intra
IX. & X. matutina Princeps Frater, IOACHIMVS,
Sere-

Serenissimi Iuniores Patruī, CAROLVS, IOACH. ER-
NESTVS, & BERNARDVS, Anhaltinorum Principes,
Phil. quoque Melanthon, D. Georgius Maior, D. Io. Forsterus,
& post hos alii profecuti, funus iuxta altare Desaviae ritu
Christiano composuerunt. Beatissimi Principis e vita ex-
cessus annum *Chaericus* hocce versu designavit:

O Patrem patriae patriae fida fLeas.

§. XX. Potuissem addere plura, si vacaret amplius.
Consulat, qui maiora velit, Celeberrimum *Sagittarium Cap.*
XXIX. Hist. Princ. Anhalt. qui ex probatis *Chaerici, Philippi,*
Camerarii, Speneri, Auctoris Notitiae S. R. Imperii Procerum,
Lutheri, Conradi Portae, Brotusii, Melch. Adami, Dresferi,
Hondorsii, Chytraei, Vlenbergii, Amlingii, Io. Brendelii, Dan.
Sachsi, Heidenreichii, Reusneri documentis multa singularia
retulit. Properandum ad

C A P V T II.

De Diverforum ELOGIIS & EPITAPHIIS.

I. **O**Rdo Theologorum Acad. Vitembergensis Ao.
MDCLXXV. XXI. Nov., quid de tanto Principe
sentiret, ingenue testatus est: *Reverendissimus &*
Sereniss. Princeps ac DN. DN. GEORGIVS, Princeps
in Anhalt, &c. ex illustratione DEI Spiritus S. de percharo edendo
Concordiae libro Vatem quasi egit, atque ex singulari prudentia
doctrinae articulos, quales in hoc symbolico Ecclesiae libro congesti
fuere, praevideat, Ecclesiae DEI, populisque subiectis, ceu Evan-
gelista Princeps, illos clare & perspicue in excellentibus suis scriptis
proposuit.

II. *Georgius Lehmannus, S. Theol. D. P. P. & Superint. nomi-*
ne Theol. Collegii in Acad. Lipsiensi:

Quam Doctus Anhaltinus Esdra, GEORGIVS
Princeps, tenebat, haut fides alia fuit,

Quam quae in Libello Formulae Concordiae
Praescribitur: Relicta Scripta comprobant.

D

III. *Phil.*

III. *Phil. Melanthon* ab initio ferme Orationis, in renun-
ciatione Doctorali *Henrici Sthenii Munderi* publica A. MDLIV.
Vitembergae recitatae; quam Germanica *Abrab. Vlrici Cra-*
nachii, Superint. Servestani translatio solum *Georgio Maiori,*
S. Lit. Doctori ascribit: *Manifestum est, Illustrissimum Princi-*
pem Anhaltinum, DN. GEORGIVM, qui non solum generis nobi-
litate, sed etiam eruditione, sapientia, & omnibus virtutibus ex-
celluit, gravissimo iudicio Doctrinam sonantem in Ecclesiis nostris
amplexum esse, nec postea abiicisse unquam, tametsi propter con-
fessionem magnis iniuriis & contumeliis afficeretur.

IV. Idem ille, quisquis tandem Orationis Auctor sit,
scribit: *Tantum animi robur & gaudium in eo [GEORGIO] fuit,*
ut satis appareret, in eo lucere fidem ac fiduciam Filii DEI divinitus
accensam. Quotidie enim cum Fratre & aliis, de beneficiis Filii DEI,
de spe vitae aeternae, de miranda collectione Ecclesiae perpetuae
ex genere humano dulcissime collocutus est.

V. *Philipp. Melanthon* in literis ad IOACHIMVM, iam
laudatum Principem A. MDLIV. d. i. Ian. transmissis: *Prae-*
memoratus Princeps GEORGIVS, XX. annorum spatio Christiano-
rum & Beatorum more vixit, ac labores in duobus amplissimis &
necessariis sustinuit muneribus, in purae Christianae doctrinae plan-
tatione, ac in mundana Imperii administratione, opere ipso perhibente,
fuisse Eundem in dictis spartis gratiosum ac beatum DEI organum.

VI. Idem pro affectu testando subsequens concinnavit:

**GEORGIO, DEI GRATIA
PRINCIPI IN ANHALT, ET COMITI ASCANIAE,
DOMINO IN ZERBST ET BERENBURG, PRAE-
POSITO MAGDEBURGENSI ET MISENENSI,**
Pietate, eruditione, & virtutum omni genere Ornatis, de-
que Ecclesiis & Politis harum regionum Opt. Merito,
IOACHIM. PR. IN ANHALT. &c.

Germano Fratri dulciss. carissimoque S. lacrimans p. placide
pieque mortuo 16. Cal. Novemb. An. Christi MDLIII.,
cum vixisset annos 46. M. 2. D. 4. H. 14.

Prin-

Principis, Ascania nati de stirpe, GEORGI
 Quem cernis, tumulus proximus ossa tegit.
 Huic fuit ERNESTVS Genitor, qui pacis amore
 Promeruit Patriae totius esse pater.
 Matris erat castae Monsterbergensis origo,
 Sincera coluit quae pietate DEVM.
 Ascaniae gentis virtus est clara triumphis,
 Ordine quos numerant secula longa Patrum.
 Sed fuit Huic fontes doctrinae discere cura,
 Quam nobis Gnatus tradidit ipse DEI.
 Hoc ad Maiorum decus addidit inclyta facta,
 Praebuit & Patriae commoda magna suae.
 Esdras ceu quondam populo ius dixit, & Idem
 Interpret Solyma legis in urbe fuit.
 Principis hic munus simul & Pastoris obivit,
 Ipsius & mentem rexit & ora DEVS.
 Iustificaque fide capiens tua munera, CHRISTE,
 Solius est cuius parta cruore salus:
 Vera luce DEVM agnovit, precibusque vacavit,
 Numinibus fictis mens inimica fuit:
 Nec virtutum umbras habuit, sed pectora rexit
 Ipse DEI vivens assimilata λόγος.
 Urbibus in multis, flavus quas alluit albis,
 Et quas cerulei praeterit unda Salae,
 Agmina collegit CHRISTVM celebrantia; spargens
 Pura Evangelii semina voce sua.
 Fidus & aetati venienti testis ut esset,
 De CHRISTO Patriae publica scripta dedit.
 Hic Frater lacrimans IOACHIMVS condidit ossa,
 Vivit, conspectu mens fruiturque DEI.
 O DEVS, Ascaniam stirpem servesque, regasque,
 Nulla venit nobis, Te nisi dante, salus.
 Hosce Philippi versus mutatos in B. D. Dürrii Harm. Doctr.
 Christ. Publ., sigillatim in *append. additament. p. 91.* me legere
 memini.

VII. *D. Georgius Maior*, Prof. apud Vitemb. Theol. in dedicatione ad IOACHIMVM, Anhalt. Princ. Concionis suae Funebri: GEORGII, Principis Anhaltini & c. piae ac inclytae memoriae obitus nobis omnibus, & haut dubie etiam Ecclesiis vicinarum regionum ingentem luctum attulit, propterea, quod scimus, eum fuisse & Principem excellentibus donis a DEO ornatum, & Doctorem fidelem & assiduum.

VIII. Idem in Conc. Funebri, in Funere GEORGIANO Desfaviae habita A. MDLIII. d. XIX. Octobr. p. 624. f. b. O. L. Bibliorum lectionem adeo sibi familiarem habuit, ut cum quotidie ab ineunte aetate, usque ad vitae suae finem, aut ipse in eis legeret, aut ab aliis praelegi sibi pateretur, praecipuam partem Sacrae Scripturae, ac Psalmos potissimum, memoria teneret.

IX. Idem pag. modo cit., adiuncta p. 625. f. a. O. L. Praeterea magnum studium, magnamque operam impenderit in lectionem Decreti, Decretalium, Clementinarum, & quorundam Interpretum Iuris Canonici, inter quos praecipue Panormitanum ceteris anteponebat. Neque erant ei incognitae leges & iura civilia, & sententiae Doctorum, & usus Iurium. Itaque & ad Ecclesiasticam & Politicam gubernationem erat idoneus.

X. *Ioach. Camerarius* in GEORGIANAE Vitae & Mortis Narratione: Illustrissimus Princeps GEORGIVS munus suum obiit assiduitate & fide summa. Non deseruit locum suum, neque alienum invasit. Non minis verborum, neque angustiis temporum, neque asperis, difficilibusque rebus terreri sese aut frangi passus est, quo minus faceret officium ubique & semper, & asserendo veritatis coelestis doctrinam, gloriam tueretur Nominis aeterni DEI, & prodesset quam plurimis. Non indulsit, vel potius ne locum quidem reliquit odio, invidiae, acerbitati animi sui. Non cupiditatibus frena laxavit; non miscuit sacra, ut dicitur, profanis, neque humanis divina. In Regum & Principum consilia, actionesque non inquisivit; non de externis & alienis, neque pertinentibus ad cognitionem & respectum muneris sui, iudicium fecit.

IX. Distinctam de Seniore nostro, GEORGIO notitiam praebet Eiusdem Camerarii inscriptio: RE-

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCI-
PI AC DOMINO, DN. GEORGIO,
PRINCIPI ANHALTINO, ET ASCANIAE DO-
MINO, ANTISTITI ECCLESIAE CHRI-
STI FIDELISS.

Qui Desaviae D.S.O. XVI. Cal. Nov. A. Chriffti MDLIII.

Eripuit nobis, Princeps, tollente, GEORGI,
Abducens terris Te quoque morte DEVS?
Maiorum Ascaniae Princeps longo ordine gentis,
Ex veteri illustri stirpe create Ducum.

Ex quibus imperio qui praesit, rite creando
Septem habuere unum secla priora Virum.

Nemo Tibi similis, nemo pietate secundus,
Doctrina, ingenio, religione, fide,

O Princeps, habuit quem desolata Patronum
Christicolae fidum turba pusilla gregis.

Cuius mens, fortuna, animus, ditio, bona, corpus,
Sunt impensa sacra cuncta ministerio.

Qui nunc heu Patriae decedis tempore quali?

Quando carere minus quae Tua posset ope?
Quam Tua sustinuit bonitas, sapientia, virtus,

Et studii immensa sedulitate labor:
Ne faceret saepe inclinata Ecclesia lapsus,

Neu premeret sanctam forte ruina fidem.
Te venerati dilexere boni, Optime Princeps,

Te simul oderunt & timuere mali.
Hic etiam opposuit se constantissima virtus,

Magni animi & vigilans sollicitudo Tui.
Nec Tibi, vis nocuit, nec fraus, ad utramque parato,

Mente opus intrepida, sive sagace foret.
Quo validum pectus? mare si quae navigat, omni

Tempore tranquillae puppis haberet aquas?
Qui vidit bellis nullum cessantibus hostem

Miles, hic an dicet forte cor esse sibi?

Cre-

Crebra & sunt iniecta Tibi, Illustrissime Princeps,
 Te presere gravis pondera dura mali.
 Hinc inimicitiis urgentibus, unde Potentum
 Immeritum variae Te petiere minae.
 Illinc, invidia Te circumstante, malignae
 Rectis infestae consiliisque manus.
 Namque odium ut capiti, sic obrectatio diras
 Insidias famae struxit iniqua Tuae.
 Nil refert. Vincit tandem post omnia verum,
 Et redit illustris nube cadente dies.
 At, nostros eat in tanta caligine, tanquam
 Lucerna, ante, precor, vox Tua, CHRISTE, pedes.
 Principis incesus ut rexerat illa GEORGI,
 Coelestis monstrans cognitionis iter.
 O Princeps dilecte DEO, cuius merita extant
 In Patriam, inque alios maxima ubique, vale.
 Cum damno qui nos quantoque dolore relinquis?
 Dum miseris praesens subtrahis auxilium.
 Sancte vale Princeps, Te nunc Ecclesia luget,
 Et sibi morte gemit vulnera facta Tuae.
 Felix sorte Tua, & cunctis defuncte periclis,
 Aeternaque fruens prosperitate, vale.
 Idem coelesti Princeps in sede locatus,
 Salve anima, in CHRISTI, sancta, recepta finum.
 Salve iterum aethera sine fine beatus in aula,
 Non magis humano subditus arbitrio;
 Consors aeternae salve vitae, Inclyte Princeps,
 Pars immortalis prima sodaliti.
 O salve atque vale. Sed Tu nos Principe tali
 Orbos, CHRISTE, orbos ne tamen esse sinas.
 Atque aliquo, quem Tu scis, Praestantissime Pastor,
 Palantes pecudes ipse tuere, modo.
 Graeca lingua constructum epitaphium p. 634. O. L. &
 p. 531. O. G. exhibet.
 XII. Non nemo hanc epigraphen reliquit: IL-

ILLVSTRISSIMVS PRINCEPSET DOMINVS,
DN. GEORGIVS,
PRINCEPS AD ANHALT, COMES ASCANIAE,
DOMINVS IN ZERBST, BERNBVRG, PRAEPOSI-
TVS MAGDEBVRGENSIS ET MISENENSIS,

Clarissimum, Familiae aetatis nostrae, verae Ecclesiae DEI & omnium Germaniae Principum Decus, eruditione & pietate, laboribusque in gubernatione exhaustis, cum primitivae Ecclesiae summis Rectoribus, Irenaeo, Gregorio Neocaesariensi, Athanasio, Ambrosio, Augustino facile comparandus: Politicis autem virtutibus, constantia, candore, iustitia, mansuetudine, castitate in voto coelibe, & temperantia priscos Romanorum Nobiles & Sapientes longe antecellens, ex hac aerumnosa vita ad coelestem conversationem evocatus, Anno Christi MDLIII. aetatis suae XLVII.

XIII. *D. Io. Dürrius, Supremus apud Servestanos Mysta & Conc. quondam Aulicus, Theologorum Anhaltinorum verbis in praefat. Tract., in quo doctrina & confessio GEORGII, & IOACHIMI ERNESTI, Principum Anhalt. de Sacra Coena recensetur: Permanent salutaria scripta (alibi appellantur Spiritu & solamine repletae conciones, sancta, eximia, necessaria, utilia scripta, margareta pretiosa, nobile depositum, forma sanorum verborum) maxime illuminati DEI organi, Principis GEORGII de Anhalt, cuius memoria in benedictione, in caro pretio, & amore & honore afficiuntur.*

XIV. Idem in Epist. Dedicat. ad Serenissimum Patriae Patrem, DN. CAR. GVILIELMVM, eiusque Principes Fratres, DNN. ANT. GVNTHERVM, IO. ADOLPHVM, IO. LVDOVICVM, cunctos Clementis DEI gratia etiã nunc superstites: *Hocce pro obtinendo scopo, nempe pro introducenda, firmanda & conservanda in DEI coetu Christiana concordia Reverendissimus Princeps Concionator, DN. GEORGIVS & c. in vita sua omnem operam, curam & laborem adhibuit, repetitis vario tempore sermonibus & scriptis.*

XV.

XV. Idem in dedicatione publica Tractatus GEORGII Principis de Persona Christi ad Serenissimam Anhaltinorum Principem MAGDALENAM, Natam Comitem Oldenburgicam & Delmenhorstianam, A. MDCXLVII. d. XXII. Nov. *Quantis quaeso est efferendum laudibus persanctum DEI organum, Princeps Anhalt. GEORGIUS, Praepositus Magdeburg. & Misensis, qui, ut dilectis suis subditis ipse divinum verbum ore tenus e suggestu Sacro proponeret, (quemadmodum & hic Servestae in Templo Oppidano ad D. Nicolai factum,) non erubuit.*

XVI. Conferantur LVDOVICI, Septemviri Palatini, AVGVSTI, Principis Electoris Saxonum, MARIAE, Ducis Sedinensis & Pomeraniae, JOACHIMI ERNESTI, Magni Familiae Anhaltinae Decoris, LVTHERI, Doctoris immortali laude digni, Anhaltinorum Theologorum encomia, qualia, quoniam B. D. Dürrius in *append. additam. in Harm. Doctr. Christ. Publicam, a p. 71. ad p. 82. collegit, isto labore supersedeo. Mihi tamen temperare non possum, quin mentionem faciam meritissimi Lubecensium Antistitis, D. Georgii Henr. Goetzi, e Phil. Melanbone, Elia Veielio, Casp. Sagittario, Adami, Dav. Chytraeo, Bakio, & aliis in Princ. Concion. Sect. 1. §. 24, 25. it. in Princ. Hebraice docto §. 8. p. 17. virtutes GEORGIANAS commemorantis. Ab his fontibus manat sequens, quod Goetzius tradit, elogium: Quod si aliquis mereretur in Concionatorum Illustrium reponi catalogum, GEORGIUS omnium suffragio primas facile teneret.*

C A P V T III.

DE

SERMONIBVS, LITERIS ET SCRIPTIS.

§. I.

Confectis superiorum capitum rationibus accedam ad conciones a Principe GEORGIO habitas, & scripta Divi Principis universa, iubente id serie, recentabo. Extant autem varii ingenii principalis foetus, quos ipse Auctor non dissimulavit: Qui

*Qui fuerim scriptis, monumenta relictā loquuntur,
Quaeque manu scripsi scripta, legenda dedi.*

§. II. Sigillatim I. in scriptis, cum Saxoniae Duce, ac Thuringiae Landgravio, GEORGIO, ob religionem agitatam, (a.) Auctore GEORGIO Nostro leguntur (1.) Relatio distincta, quam ob rem inter ipsos fuerit controversum, p. 383. Op. Germ. p. 464. Op. Lat. (2.) Literae ad GEORGIVM, Saxoniae Ducem, Halae die Veneris post Epiphan. Domini, MDXXXIII. p. 387. Op. Germ. p. 470. Op. Lat. (3.) Aliae ad eundem Magdeburgi, die Veneris post Laetare, MDXXXVIII. p. 388. f. b. O. G. p. 472. f. b. O. L. [4.] Aliae insuper ad eundem, Halae die Circumcisionis scriptae MDXXXIII. p. 390. O. G. p. 474. f. b. O. L. (β.)

§. III. Deinceps edidit II. literas ad Principem Electorem & Marchionem Brandeburgicum, DN. IOACHIMVM, Desaviae die Lunae post Iubilae, MDXXXIV. elaboratas, in quibus subsequēntis prolixae commemorationis rationem reddit, p. 393. f. b. O. G. p. 479. O. L.

III. Auctam satis & doctrinae expositionem, & ceremoniarum in Ecclesia Desaviensi commemorationem, p. 395. O. G. p. 480. O. L.

E

IV.

(a.) Collegit ipse Princeps huiusmodi Roslaviae, die Martis post Domin. Adventus I., die scil. III. Dec., A. N. C. MDXXXVIII. & absolvit die Conversionis Pauli MDXXXIX.

(β) Has demum accepit A. C. MDXXXVIII. Saxonum Dux GEORGIVS, quod mutato consilio istas tantisper retinuerit, dum commodiore tempore vel per colloquium mutuum, vel placato ipsius animo per literas agere posset. Continentur insimul in praesentibus scriptis eristicis (1.) Dignissimi Anhalt. Principis, DN. IOACHIMI, die Lunae post Conceptionis Mariae MDXXXII. ad Principem Fratrem GEORGIVM datae literae cum adiacente schedula, p. 383. f. b. O. G. p. 464. f. b. O. L. (2.) Binae Epistolae Saxoniae Ducis, GEORGII ad Anhaltinum GEORGIVM, quarum primam composuit die Lunae post Conc. Mariae, MDXXXII. Conf. p. 386. O. G. p. 468. O. L. alteram Dresdae, die Antonii MDXXXIII. Vid. p. 388. f. b. O. G. p. 470. f. b. O. L.

IV. Coniugium Sacerdotum & divino & naturae iure non esse illicitum, demonstravit p. 432. f. b. O. G. p. 530. O. L.

V. Quomodo ad veram Evangelii per DEI gratiam cognitionem pervenerit, perhibet p. 444. f. b. O. G. p. 545. f. b. O. L.

VI. Literas ad Saxoniae Ducem, GEORGIVM, Cothenae die Iovis post Misericord. Domini, MDXXXVIII. p. 459. O. G. p. 566. O. L. [γ.]

VII. Literas ad D. Io. Cochlaeum, Cotheniae, VIII. Maii, MDXXXVIII. p. 460. f. b. O. G. p. 568. f. b. O. L.

VIII. Literas ad saepius dictū GEORGIVM, Berenburgi, die Magdalенаe, MDXXXVIII. p. 461. O. G. p. 569. O. L.

IX. Prolixum de iustificatione, de ceremoniis, comunione, Sacramenti circumgestatione, Sacerdotum coniugio, concilio, abusibus & s. p. tractatum, ad eundem, p. 462. O. G. p. 570. f. b. O. L.

X. Ad D. Cochlaeum literas in argumento allato, Berenburgi, XXII. Iul. MDXXXIX. p. 492. f. b. O. G. p. 605. f. b. O. L.

XI. Epistolam ad tractus Bernburgensis, Varmsdorfiensis & Ploezkaviensis Pastores, nondum, quod ego sciam, impressam, Dessaviae die Mercurii post Palmarum, MDXLI. consignatam. (δ.)

XII. Li-

(γ) *Ne quid in historia, quantum ad excitatam controversiam attinet, desideretur, confido, fore plerosque, qui aequo animo, quod relaturus sum, perpendant. Responsum dedit Principi GEORGIO Dux GEORGIUS (1) die Veneris post sacram feriam, Iudica dictam, Dresdae, MDXXXVIII. p. 456. f. b. O. G. p. 562. f. b. O. L. (2.) die Veneris post Philippi & Iacobi, Dresdae, MDXXXVIII. p. 457. O. G. p. 563. O. L. (3.) Dominica post Iacobi, Lipsiae, MDXXXVIII. p. 495. O. G. p. 608. O. L. (4) Dresdae die Sabbathi post Assumptionis Mariae, MDXXXVIII. p. 496. O. G. p. 609. O. L. Neque respondendo defuit Io. Cochlaeus, quod GEORGIUS Noster ad Saxonem GEORGIVM nonnullam ipsius mentionem fecisset. Causam ergo respondendi habuit (1.) Misena XXVI. April. MDXXXVIII. p. 459. O. G. p. 566. f. b. O. L. (2) Lipsiae, XXIX. Iul. MDXXXIX. p. 495. O. G. p. 608. f. b. O. L. [δ.] Asservatur ea in MSC. in Bibliot. h. Ecclesiae Servest. ad D. Barthol.*

XII. Literas ad Imperatorem, CAROLVM V. ad religionis causam pertinentes, Desfaviae scriptas die Visitat. Mariae, MDXLI. p. 367. O. G. p. 445. O. L.

XIII. Ad eundem eadem materia literas, Desfaviae I. Aug. MDXLI. p. 370. O. G. p. 448. O. L.

XIV. Piam consultationem de instituenda reformatione religionis in Primatu & Archiepiscopatu Magdeburgensi: Transmittebat hanc Desfavia Magdeburgum die Lunae post Luciae, MDXLII. una cum prooemio & inclusa scheda, p. 373. O. G. p. 452. O. L.

XV. Literas ad Electorem Principem Moguntinum, Cardinalem ALBERTVM, in religionis causa, Desfaviae datas MDXLIII. p. 372. O. G. p. 450. O. L.

XVI. Scripturae compendium e dictis paginarum sacramentorum praecipuis, quibus auctoritatem Codicis summam demonstraret: Committebat & credebat propria istud manu Bibliis primum Generosissimi Viri, DIONYSII ab HERZHAIM, Scriptorum dein Collectores ad p. 305. O. G. ad p. 369. O. L. collocabant.

XVII. Orationes Synodicas in Gubernatorum Ecclesiae Martisburgensis conventu recitatas. Suscepit autem in solemniori hocce confesfu, exigente id muneris ratione, disendi partes:

[1] in cap. Genes. XXXV. v. 2. die Martis post Trinitatis MDXLV. p. 328. O. G. p. 396. O. L. [2] die Martis post Vrsulae MDXLV. qualis sermo non nisi admonitionem continet ad Pastores divini coetus, ut constantiam pariter ac integritatem in administrandis negotiis adhibeant; p. 334. O. G. p. 402. O. L. [3] in I. Tim. IV. v. 13. die Lunae post Trinit. MDXLVI. p. 336. O. G. p. 405. O. L. [4] in Ies. LIX. v. 21. d. XXV. Oct. MDXLVI. p. 340. O. G. p. 409. O. L. [5] in I. Tim. IV. v. 13. d. V. Octobr. MDXLVII. p. 342. O. G. p. 412. O. L. [6] in Ies. LI. v. 16. XXVIII. Maii, MDXLVIII. p. 346. O. G. p. 416. O. L. [7] in Luc. XXII. v. 32. d. VII. Nov. MDXLVIII. p. 349. O. G. p. 421. O. L. [8] in I. Timoth. IV. v. 12. d. XVII. Iunii, MDXLIX. p. 352. O. G.

p. 425. O. L. [9] in c. VI. ad Gal. v. 4. VI. Oct. MDXLIX.
p. 356. O. G. p. 429. O. L. [10] in Io. X. v. 28. d. XV. Oct. MDL.
p. 359. O. G. p. 433. O. L. [11] in Io. XVII. v. 17. die Martis
post Trinit. MDL. p. 361. O. G. p. 436. O. L. [12] de pote-
state interpretationis Scripturae legitimae in coetu di-
viniore, p. 364. O. G. p. 440. O. L.

XVIII. Insequentem de Coniugio sermonem praefatio-
nem Martisburgi compositam, p. 309. O. G. p. 375. O. L.

XIX. Ipsum in universum Psalm. CXXXVIII. sermonem, a
GEORGIO, Torgaviae VIII. Oct. MDXLVIII. dictum, oc-
casione nuptiarum, quas dignus immortalitate Dux Saxo-
num, AVGVSTVS, cum sibi desponsata Principe Regia,
ANNA, Potentissimi Danorum Regis CHRISTIANI, Filia
celebrabat, p. 311. O. G. p. 377. O. L.

XX. Duplex in duos sermones prooemium; quorum
prius graves continet rationes, quibus commotus typis sub-
iecerit sermones, scil. quod in Ecclesia Cathedrali Martis-
burgensi falsa id temporis dogmata proposita fuerint, quod
in publicis quidam scriptis corruptelas obtegere voluerint,
denique in calumniarum reiectionem, quasi GEORGIUS a
pura discesserit doctrina, p. 35. O. G. p. 51. O. L. Adiecit
praefationi relationem de vocatione & ordinatione & sui
ipsius, & Ministrorum Ecclesiae contra Pontificiorum in-
sultus, p. 41. O. G. p. 58. O. L.

XXI. Sermonem de falsis Prophetis primum in Evang.
Domin. VIII. post Trinit. Matth. VII. a v. 15. ad 24. in Cathe-
drali Basilica Martisburgensium, XI. Aug. MDXLIX. habi-
tum, p. 54. O. G. p. 74. O. L.

XXII. Sermonem de falsis Prophetis alterum, speciatim
de Auditorum fructibus, in Matth. c. VII. v. 16. add. XXVII.
Iul. MDL. p. 113. O. G. p. 144. O. L.

XXIII. Praefationem in tres de Sacramento Corporis &
Sanguinis IESV CHRISTI sermones, ad Dioecesi Martis-
burgensi addictos, p. 132. O. G. p. 167. O. L.

XXIV. Causas & DEI, & nostri ratione VI. ad frequen-
tem Sacramenti huius usum Christianos ingenue exhortan-
tes, p. 134. O. G. p. 170. O. L.

XXV.

XXV. Sermonem de venerando Altaris Sacramento primum, Domin. Palmarum MDL. in templo Martisburgensi primario habitum I. Corinth. c. XI. v. 17. ad finem, p. 135. O. G. p. 171. O. L.

XXVI. Sermonem de Coena Domini alterum, Viridium die MDL. in Epistolam ordinariam, I. Cor. XI. v. 23.-32. p. 147. O. G. p. 186. O. L. [s.]

XXVII. Sermonem de Coena tertium, Fer. Paschatis II. MDL. in Evangelium Luc. XXIV. v. 13. ad 36. dictum, p. 171. O. G. p. 216. O. L.

XXVIII. Praefationem in sermonem quartum de venerando Sacramento Corporis & Sanguinis CHRISTI, causas simul enarrantem, cur & quartum, prioribus tribus divulgatis, adiecerit sermonem, p. 184. O. G. p. 238. O. L.

XXIX. Sermonem de vera Sacramenti veneratione & auctoritate quartum Corporis CHRISTI Festo MDL. itidem Martisburgi habitum in v. 23. Cap. XI. Epist. I. ad Corinth. p. 188. O. G. p. 243. O. L.

XXX. Brevem meditationem ad Germanum Fratrem, IOANNEM aegrotantem, de iis religionum capitibus, quae ad condonanda poenitentibus peccata, ad mortuorum suscitationem, ac vitae aeternae adeptionem spectant. Dabat hanc ad Sacra natus Princeps Auctor Vorlicii die Martis post diem, qui a Voce Iucunditatis nomen tulit, A. G. MDL. p. 365. O. L.

XXXI. Literas ad Germanum Fratrem Principem IOACHIMVM dedicatorias, cui explanationem Pf. XVI. (secundum vulgatam versionem Pf. XV.) de passione scil., morte, sepultura, descensu ad inferos, ac resurrectione DN. IESV CHRISTI, nec non de Ecclesia, peccatorum condonatione, carnis resurrectione & vita aeterna, sacram esse iubet, p. 211. O. G. p. 269. O. L.

XXXII.

[s.] *Inserta praesenti sermone D. Io. Eccii ad Principem GEORGIVM Ingolstadii, XIV. Maii, A. MDXXXV. scripta Epistola, p. 170. O. G. p. 196. & p. 544. O. L. qua disertè fatetur, utriusque speciei in Sacro communionis ritu longo tempore in Germania extitisse usum.*

QK 16 208

XXXII. Sermonem in Pf. XVI. v. 1. & 2. primum, vesperi die Viridium Desfaviae in templo Parochiali MDLII. recitatum, Historiam de passione CHRISTI continentem, p. 214. O. G. p. 272. O. L. (?)

XXXIII. Sermonem in Pf. XVI. v. 1. - 7. secundum, sub vesperam die Parasceves Desfaviae MDLII. habitum, plurimam partem passionis CHRISTI historiam continuantes, p. 225. O. G. p. 285. O. L.

XXXIV. Sermonem in Pf. XVI. v. 8. - 11. tertium, ipso Sabbatho festum Paschatis praecedente vesperi Desfaviae MDLII. proconcione prolatum, materiem de sepultura CHRISTI, & descensu ad inferos et professo tradentem, p. 241. O. G. p. 304. O. L.

XXXV. Sermonem in Pf. XVI. v. 8. - 11. postremum, die Paschatis Desfaviae MDLII. dictum, salutis plenum de resurrectione CHRISTI articulum commemorantem, p. 256. O. G. p. 322. O. L.

XXXVI. Rotundam ac perspicuam de translatione Ps. XVI. narrationem, p. 292. O. G. p. 361. O. L.

XXXVII. Perutilem iuventuti, maximeque laudabilem admonitionem de fugienda libidine, omnique alia voluptate inhonesta vitanda, A. MDLIII. p. 307. O. G. p. 372. O. L.

XXXVIII. Concisam ad Principem Fratrem, IOACHIMVM, Varmsdorfii, XXII. Febr. MDLIII. scriptam Epistolam, p. 1. O. G. p. 15. O. L.

XXXIX. Sermonem de incarnatione & nativitate Salvatoris Nostri, A. MDLIII. Varmsdorfii in sacello arcis in II. Cap. Lucae a v. 1. ad 20. pro suggestu non modo recitatum, sed & ob plurima V. T. hoc de argumento vaticinia, satis diffusum, p. 2. O. G. p. 16. O. L.

XL. Alium sermonem de admirabili Servatoris IESV CHRISTI nativitate, inc. Ies. VII. v. 14. p. 31. O. G. p. 46. O. L.

[?] *Monendum hic, in cunctis super praedictum Psalmum concionibus collatum & explicatum fuisse ob doctrinae consensum a Beatissimo Concionatore articulum Symboli II.*

F I N I S.

21



